



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Eiusdem Priuilegium de amotione Aduocati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

FVND. MONASTER. ET ALIOR.  
Eiusdem Priuilegium de amotione Ad-  
uocati.

Philippus secundus diuina fauente clementia Romanorum Rex & semper Augustus. Diuinam maiestatem nobis propitiam reddimus, si personis religiosis & locis diuino deputatis obsequio humanitatis nostræ acclinabimus fauorem, amouendo ab eis cuiuslibet in festatoris molestias regia protectione. Ea propter nouerit Christi & Imperij fidelium præsens ætas, & posteritas successura, quod accedentes ad præsentiam nostram sub frequentia Principum, apud *Nirnberg Eberhardus* Venerabilis Abbas in *Alderspach* cum confratribus suis quibusdam, Autenticum prædilecti patris nostri Friderici quondam Romanorum Imperatoris diui Augusti nobis exhibuerint, in quo manifestis cognouimus indiciis, quod memoratus abbas coràm ipso patre nostro recolendæ memoriæ monasterij sui aduocatiam jure omnimodo, & legitimis probationibus euicit à quodam *Alramo de Chambe*, qui eam sibi illicite, & nullo fretus jure, vsurpauerat. Diuinæ igitur remunerationis intuitu ratum habere volentes & inconuulsam, quod Pater noster feliciter fanciuit, & à posteris suis statuit obseruandum, *Alramum de Chambe Alberti* filium, & omnes hæredes suos ab eadem Aduocatia, sicut prius est, nec non coràm nobis & Principibus, prorsus remouemus, & nullam sibi vel alicui in ea præstamus Warandiam. Cum enim juris sit eorundem fratrum in bonis suis assumere sibi quem voluerint aduocatum & defensorem, & ipsi ad hoc excellentiam nostram idoneam elegerint perpetuo defensionis vinculo eam nobis aduocatiam annectimus, à nostra & Imperij potestate nunquam alienandam. Ad huius autem facti robur hanc paginam conscriptam impressione sigilli nostri communiuimus. Testes huius rei sunt *Conradus Moguntinus Archiepiscopus, Diemo Babenbergensis Episcopus, Wolfgerus Pataviensis Episcopus, Otto Frisingensis Episcopus, Ludouicus Dux Bauariæ, Leupoldus Dux Austriæ, Berchtoldus Dux Moraniæ, Ekkebertus Præpositus, Fridericus Præfectus de Nirnberg, Diepoldus Lantgrauius de Leuckenbergh, Comes Luduicus de Oetingen, Comes Geucher de Tollinstain, Waltherus de Lobinhausen, Heinricus Marsalcus de* \* Tollindin, & alij quam plures. Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini M. C. XCVIII. Indiæ. \* Datum *Nirnberg* per manum *Conradi* regalis aulæ Protonotarij XV. Aprilis.

Priuilegium Domini Ottonis Regis Romanorum super  
exclusionem Aduocatiæ.

Otto quartus diuina clementia Romanorum Rex & semper Augustus. Diuinam maiestatem nobis propitiam reddimus, si personis religiosis & locis diuino deputatis obsequio humanitatis nostræ acclinabimus fauorem, amouendo ab eis cuiuslibet in festatoris molestias regia protectione. Ea propter nouerit Christi & Imperij fidelium præsens ætas & posteritas successura, quod accedentes ad præsentiam nostram sub frequentia Principum apud *Herbipolim Ludouicus* Venerabilis Abbas in *Alderspach* cum confratribus suis quibusdam, autenticum Friderici gloriosi quondam Rom. Imperatoris diui Augusti nobis exhibuerunt, in quo manifestis cognouimus indiciis, quod memorati Abbatis antecessor *Eberhardus* nomine, coràm præfato Imperatore recolendæ memoriæ monasterij sui aduocatiam omnimodo & legitimis probationibus